

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS AMEN. Ego Cůnradus dei gratia Constanciensis ecclesie episcopus. Ut negocia que rationabiliter fuerint
tractata valeant ad posteros propagari, poni debent in lingua testium et scripture memoria perennari. Declaratur igitur tam presentibus quam post futuris
omnibus bone voluntatis hominibus qualiter Hugo miles civis Constanciensis vulgo dictus de Bunde: dum iter terre expeditionis ad liberandum sepul-
chrum domini ob amorem dei cum Friderico imperatore bone memorie quondam arripuisset, mansum unum terre sue in Langinowe in pago Turgowe situ-
quam nomine predii in corde ille possederat, monasterio sancti Johannis iuxta fluvium qui vocatur Turia sito, pro remedio anime sue et parentum suorum in fen-
ca domini sui comitis Diethalmi de Toggenburch cum ministeriali eius libero et sano consensu nullis reclamantibus dicta verborum sollempnitate salubriter contu-
dit: huiusmodi tamen forma pactionis accepta ut ipse Hugo et heredes sui qui a lumbis eius processerint eandem terram de manu abbatis eiusdem ce-
nobii haberent et quinque solidos denariorum accepte monete prefato cenobio annuatim persolverent. Si vero ipse Hugo absque liberis decederet eadem
terra in usus fratrum monasterii irrevocabiliter cederet. Ordinavit etiam idem Hugo ut singulis annis dies anniversarii eius in prefato monasterio celebraretur. Donati-
one autem illa celebrata, primo tantum anno statutum censum persolvit. Sequentibus vero pluribus annis et censum neglexit et terram violenter retinuit.
Post modicum idem Hugo se recognoscens videre quod iniustas prefato claustro in hac parte inferret, nostri se cum filiis suis obtulit conspectibus, et ipse et filii sui
violentiam et iniustam eiusdem terre possessionem porrectis manibus et dictis verbis coram nobis publice resignarunt, et ipsam saluti possessionem fra-
tribus memorati monasterii liberam et quietam [illegible] terram de manu Cůnradi supradicti monasterii abbatis, pro annuo censu in prima donatione
constituto in continenti susceperunt. Cetera etiam que in eadem donatione pro ipso Hugone et filiis suis pridem rata ordinata fuerant, incon-
vulse et inviolabiliter observanda sunt. Acta sunt hec in aula episcopali Constantie. Anno dominice incarnationis M. CC. X. Indictione XIII. Anno decem-
novalis cycli XIIII. Epactis XXIII. Concurrentibus IIII. C. littera dominicali. Sexto idus aprilis. presidentibus nobis. Presidente sedi apostolice Innocentio III. Anno
apostolatus eius XIII. Regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Ottone. Anno regni eius II. Imperii vero I. Nobis kathedram Constanciensem gubernantibus:
Anno electionis nostre II. Consecrationis vero I. Ne autem tam rationabile negocium a perversorum calumnia in posterum valeat attemptari vel ullom-
infringi vel etiam ad futurorum noticiam per oblivionis caliginem impediatur transferri, hanc paginam fecimus inde conscribi et sigilli nostri impres-
sione communiri. Si quis autem huic scripto in posterum ausu temerario contraire presumpserit, in die districti examinis ab auditione mala
pertimescat. Testes qui aderant et hec viderunt sunt hii. Berhtoldus de Annewilare. Ulricus de Thengenvelt. Henricus filius Luitfridi. Constancienses
canonici. Laici. Henricus quondam Constanciensis causidicus. et filius suus Cůnradus. et Marquardus Constanciensis causidicus. Ulricus de Schophe. Hen-
ricus filius filii Salme. Anno pontomiarius. Cůnradus et Ulricus de curia. et plures alii tam clerici quam laici. in domino feliciter. [illegible]

A. D. 1210. — Document de l'évêque Conrad de Constance.

Saint-Gall, Stiftsarchiv, Urkunden F. F. 5. B. 1.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Planche 89 – Franz Steffens, La Paléographie Latine (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2fh6/7408/59637)